

Kem 740

Kem 740

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
LYSIMACHIAE PVRPVREAE
SIVE LYTHRI SALICARIAE LINN.
VIRTUTE MEDICINALI NON DVRIA

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIA CIIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE RBL.
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

A. D. V. IVNII C¹I²O³C⁴L⁵XXX.

PVBICE DEFENDET

A V C T O R

IOANNES SCHERBIUS

MOENO - FRANCOFVRTANVS.

Kem.
740.

IENAE
EX OFFICINA FIEDLERIANA.

Kem.
740.

REIPUBLICAE INCLVTAE
MOENO - FRANCOFVRTANAЕ
S E N A T V I
SPLENDIDISSIMO AC AMPLISSIMO VIRIS PERILLVSTIBVS GE-
NEROSISSIMIS MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS CONSVLTIS,
SIMIS DOCTISSIMIS PRUDENTISSIMIS NOBILISSIMIS ET
GRAVISSIMIS
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS
CONSILIARIIS ACTVALIBVS
CETERISQVE PATRIBVS CONSCRIPTIS
DOMINIS
PRAETORI
CONSVLIBVS
SCABINIS
SYNDICIS
SENATORIBVS
PROKERIBVS MAECENATIBVS
ET
PATRIAЕ PATRIBVS

DE REPUBLICA OPTIME MERITIS
PATRONIS SVIS OPTIMIS
MAXIMIS
OMNI HONORIS ET OBSERVANVIAE CVLTV
PROSECVENDIS
HANC DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
IN
VENERATIONIS SVMMAE ET MENTIS PIAE
DOCVMEN TVM
EA QVA PAR EST REVERENTIA
SACRAM ESSE VOLVIT

TANTORVM VIRORVM

CVLTOR PERPETVVS
AC DEVOTISSIMVS
IOANNES SCHERBIUS.

THESES

I.

Animi affectus nonnunquam ad amissam valetudinem restaurandam conducunt.

II.

Non exstat remedium, quod dicunt, uniuersale.

III.

Materiam arthriticam et rheumaticam in primis viis generari credo.

IV.

Infitionem variolarum suadendam, non prohibendam esse existimo.

V.

Miasma, quod gonorrhoeam malignam inducit, non differt ab eo, quod luem venereum profert.

VI.

THESES

VI.

*Vini potus quotidianus magis, quam aquae potus ad morbos
disponit.*

VII.

*Saturni usum et internum, et externum caritate admittendum esse
existimo.*

VIII.

Cortex peruvianus fere sub omnium morborum finem prodest.

IX.

Potus Coffeae non potest non eo utentibus esse detimento.

EXPLICATIO ICONIS

- Fig. 1. LYTHRI SALICARIAE LINN, caulis pars superior situ naturali depictus.
- Fig. 2. Calix, stamna maiora et pistillum, demis petalis.
- Fig. 3. Calix expansus superficie exteriori in conspectu positus.
- Fig. 4. Corolla cum calice et staminibus superficie interiori.
- Fig. 5. Idem eo situ, vt praecipue petalorum insertio appareat.
- Fig. 6. Anthera filamento insidens.
- Fig. 7. Stigma stilo affine cum germine.
-

Editiones

Digitized by Google

PICA



P R A E F A T I O

Ex quo de rerum natura et euentis cogitare coepi, non potui non mirari multiplices variasque formas, quibus se passim induunt, attendere mutationes innumeratas, quas subeunt subito vel statu tempore, et obseruare vicissitudines occultas vel manifestas, quibus per aeternam quandam et immutabilem legem subiectae esse videantur. Nihil enim in his perpetuum est, nisi nasci et mori, fieri ac desinere. *Mortalia eminent, inquit SENECA* *), cadunt, deteruntur, crescunt, exhaustiuntur, implentur, itaque illis in tam incerta sorte inaequalitas est. Quin ipsae plantae non immunes ab hac lege sunt, et varia nascendi perundique ratio cauet, ne sub vnum veniant adspectum, et semet totae se ostendant, Multae earum sunt species,
quae

*) Epist. 66.

quae pro temporis varietate et soli fertilitate vel sterilitate citius serius explicantur, crescunt et decrescent mutuo, et in alias atque alias formas ac vires conuentuntur. Vnde hoc euenissem puto, vt satorum animaliumque virtutes *), cum mortales sint, fragiles caducaeque, et incertae, extilant residantque, et ideo non eodem pretio aestimantur.

Adstupenti ergo mihi plantarum immensam compiam, quae in hac rerum vniuersitate reperiuntur diuersae sub diuerso coelo, et cogitanti vim insitam singularis, qua sanitatem vel conseruare possint integrum, vel labantem firmare, vel labefactatam restituere, videatur satis prouisum ac cautum generi humano esse, ne cum tot tamque variis rebus laesuris expositum sit, subito extinguatur. Suppetunt vbiique terrarum medicamina, hoc vnum anceps et ambiguum est, virtutes eorum certae sint, an incertae. Inest aliis parum aut nihil, vnde vitia corporis tolli velleniri posse putas, aliae vero, etiamsi aliquid sperare iubeant, optatis non respondent, aliae denique vim ad iuuandum praesentaneam exserunt. Neque vero iudicia medicorum de iisdem sunt eadem, quia euentus fere pendet ab rebus fortuitis, multaque magis ex opinione inuentae, quam vsu confirmatae putantur. Haec sine dubio caussa est, quare in materia medica magis copias, quam penuriam doleas, et que quis tyro in scholis didicerat, medicus expertus aliquando

*) Ibid.

do perdenda fateatur. Medicina quondam sub auctore SE-
NECA *) paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens
sanguis, vulnera coirent paullatim, deinde in hanc peruenit tam mul-
tiplicem varietatem. Incredibili medicorum assiduitate factum
est, ut multitudine remediorum fere obruamur, neque de-
fuit iis ad hunc usque diem libido et quaedam veluti ra-
bies noua hinc inde corradendi, variasque condituras
effingendi, vilia impensis laudandi, vetera renouandi,
obsoleta in integrum restituendi. Ita ne post secula qui-
dem deseruit studium noua remedia sectandi, inueni-
endi ac commendandi, vel obliuioni tradita iterum protra-
hendi, et post genitis placent illico, quia vetustas illis
auctoritatem, nouitas fauorem, vanitas hominum fidem
conciliat.

Nolo haec exemplis multis approbare. Euolue
scriptores de materia medica veteres ac nuperos, et du-
bitare desines. In obsoletarum medicinarum numero
etiam est ponenda *Lysimachia purpurea* siue *Lythrum Salicaria*
LINNAEI, quam medici veteres et maiores valde efficacem
litteris prodiderunt, recentiores fere neglexerunt, pauci
ex illis commendarunt, aliqui velut minus salubrem
in medio reliquerunt. Sic res nondum ad liquidum per-
ducta est, et me subiit libido vires eius medicinales cu-
ratius inuestigandi, monitus cum maxime a patre vene-
rabili, cui planta illa commendata nec inefficax, nec om-

A 2

nino

*) Epist. 96.

nino spernenda esse visa est. Obsequor ergo patris optumi voluntati, et perlubenter tento,

Quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Faciam, quae potero, colligam, quantum per temporis angustiam et tenuem librorum supellectilem licuerit, et in argomento pertractando ita versabor, ut, praemissa parte historica, botanica et chemica, therapeutica subiiciam, morbos singulatim nominando, quos planta nobilissima persanasse, certe leniisse scribitur.

SECTIO

S E C T I O I.

Historica, botanica, chemica.

Lysemachia l. Lytron medicina et vetus, et haud ignobilis est. Videtur enim eam THEOPHRASTVS ERESIVS a) sub ephemero comprehendisse, curatius descriptsisse ac commendasse DIOSCORIDES b), PLINIVS c), GALENVS d), HESYCHIVS e), ORIBASIVS f), AETIVS g), PAVLLVS AEGIP-

A 3

NETA

- a) Hist. Plantar. L. VI. p. 699. ed. Bodae & Stapel, ubi plur.
- b) De Materia med. IV. 3. p. 246. ed. Sambuc.
- c) Histor. Natural. XXV. 7.
- d) Simpl. Medicam. Facult. L. VII. c. 89. p. 211. T. V. ed. Basil. lat.
- e) Ap. Stapel. I. c. p. 639.
- f) Medicinal. Collectan. XI. p. 427. Collect. Steph.
- g) Tetrabibl. I. Serm. I. p. 41. Coll. Steph.

NETA *h*), IO. RVELLIUS *i*), ANDREAS MATTHIOLVS *k*), HIERON. TRAGVS *l*), DODONAEVS *m*), IAC. THEOD. TABERNAE-MONTANVS *n*), CASP. SCHWENCKFELT *o*), IO. GOTTSCHED *p*), BARTH. ZORN *q*), IO. BOECLER *r*), rel. Neque inter recentiores defuerunt, qui huius plantae vires medicinales summis effarent laudibus, certe ab obliuione reuocandas suaderent, cum medici veteres et maiores ei tantum tribuisse viderentur, quantum vix vlli alii. Sufficiat mihi ex multis nominasse MICHAEL. SAGAR *s*), ANTON. de HAEN *t*), HENR. IO. NEPOM. CRANTZ *u*), ILL. MVRRAY *x*), CHRIST. FRID. REVES *y*) etc. Hi enim omnes in eo quidem

h) De Re med. VII. p. 386. ed. Torin.

i) De Nat. Stirp. I. 17. p. 58. ed. Basil. pag. 87. maximeque L. III. 78. p. 579.

k) Commentar. in Libr. Dioscorid. p. 484.

l) Kraeuterbuch — pag. 146.

m) Ap. Stapel I. c.

n) Kraeuterbuch II. c. 154. pag. 1236. seq.

o) Stirp. et Fossil. Silef. Catalog. p. 129.

p) Flora Prussica pag. 155.

q) Botanolog. med. p. 409.

r) Cynosur. Mater. Med. Continuat. P. I. c. 6. p. 547.

s) Diff. de Salicaria. p. 395. in Wasserberg Fascic. Opp. medic. T. II.

t) Ratio Medendi P. III. cap. 5. p. 214.

u) Mater. med. et Chirurg. T. II. pag. 26.

x) Apparatus Medicaminum. Vol. III. p. 510.

y) Dispensator. vnuersal. P. II. p. 79.

denei consentiunt, suas Lysimachiae inesse virtutes ad
varios profligandos morbos, sed in eo fere à se dissen-
tiunt, quod alii minus accurate describant plantam, sal-
uis viribus, v. c. DIOSCORIDES et GALENV, aliī species
inter se confundant, et cuiuscumque adsiguent, quod ma-
gis consentaneum et proprium Lysimachiae purpureae
erat, i. e. SALICARIAE floribus spicatis, foliis coniugatis z), alii
siderum influxum virgeant, et certas legendi horas scri-
bant a), alii subdubitent de eius efficacia b), alii eam pror-
sus negligant, et, tanquam inanem et sterilem plantam,
procul abesse iubeant c), alii denique specialiorent vsum
adhuc indagandum censeant d). Sic demum euuenit, vt
eius memoria sensim pedetentimque vilesceret, et suc-
cessu temporis tandem prorsum obsolesceret in tantis
materiae medicae copiis. Primus ergo, quantum equi-
dem memini, eam Hibernis in vsu esse litteris prodidit
THRELKELD e), deinde laudauit a. c. 1610 CXXXVII. HAMNE-
RIN f), post LVCAS MISLEG g), medicus castrensis Au-
striacus, maiorum exemplo incitatus, experimenta ite-
rum instituit, neque spe excidit, et qui fuerit periculo-
rum

z) Sic recte Crantz I. cit. p. 26.

a) Sic Thurneisen Pison Wasserschatz B. VI. c. 65. p. 277.

b) Mellin Pract. Materia medica p. 67.

d) Sic Cl. Lenbardi Arzneyen ohne Maske B. I. S. 282.

c) Sic Schulz Theses de mater. med. edit. a Stumpff, p. 389.

e) Ap. Dale Pharmacol. p. 264.

f) Ap. Crantz I. et. pag. cit.

g) Ap. Haen I. cit. p. 250.

rum euentus, Perill. SWIETENIO significauit, tandem HAENIVS h) circiter sub a. c^olocc^o LX. praeplantiam remedii decem variis experimentis extra omnem dubitationis aleam posuit, et FRANC. XAVER. HARTMANNVS i) formulam quandam in vsum tyronum describendam curauit. Quae etsi sedulam salubris medicinae repetitionem suaderent, tamen perpauci materiae medicae narratores ei locum in supellectili sua copiosa esse voluerunt, v. c. LOESECKE k). CRANTZ l) et Ill. MVRRAY m), plurimi prorsum illaudabilem omiserunt, quasi esset nullius frugi vel inferior ceteris, quarum fecerant mentionem, paucissimi practici, iisque fere vmbiatrici, nec habentes eam auctoritatem et gloriam, quae ad commendationem confert plurimum, illam variis in morbis prodesse contenderunt. Multum ergo superest medicis huius temporis celebrimis faciendum, vt, quatenus huic plantae virtus sua medica constet, perducatur ad liquidum, eiusque vsum iterum reuocetur.

§. 2.

l) Loc. cit.

i) Formulae Remediior. in Mater. med. et chirurg. Crantzii p. 214.

k) Materia medica, ed. quart. Zückert p. 432. Sed is Lysimachiam luteam vulgarem commendat ex Rosensteini et Haenii auctoritate, etiamsi hic solam Lysimachiam purpuream nominet, ille Hartnium appelleat.

l) Loc. cit.

m) Loc. cit.

Pertinet vero *Lysimachia purpurea* siue *Lythrum Salicaria*
 LINN. secundum sistema sexuale ad classem XI. dode-
 candriam, ad calycanthemas vero secundum ordinem
 naturalem n).

Lysimachia s. Lytrum DIOSCORID.

Lysimachia purpurea PLIN. T. OREL TABERNAMONT. 1236.

Lysimachium purpureum C. GESNER.

Lysimachia altera. MATTIOLI 675.

Pseudolysimachium purpureum alterum DODON.

Lysimachia purpurea communis maior CLVS. Hist. 2. p. 51.

Salicaria vulgaris purpurea foliis oblongis TOVRNEFORT. 253.

Lysimachia spicata purpurea, forte PLINII C. B. P. 246. -

Lysimachia purpurea quibusdam spicata I. B. Tom. 2. t. 21.
 p. 902.

Blattaria rubra spicata maior glabra communis folio acuto MO-
 RISON Hist. 2. p. 490.

Blattaria rubra spicata maior, folio subrotundo MORISON. Hist. 2.
 p. 490.

Lysimachia trifolia spicata purpurea BOCCO MUSEVM. 167.

Lysimachia
 n) Murray l. cit.

Lysimachia quadrifolia purpurea mollioribus et longioribus foliis
BOCCOMVSEVM. 167.

Salicaria foliis lanceolatis subhirsutis, floribus spicatis HALL.
Stirp. Helv. n. 854.

Lythrum foliis acutis floribus verticillatis LINN. Fl. Lapp. 197.

Lythrum foliis oppositis LINN. Hort. Cliff. 178. Fl. Suec. 393.
422. ROY Hort. Lugd. Bat. 458. Guettard. p. 122.

Lythrum Salicaria LINN. foliis oppositis cordato-lanceolatis flori-
bus spicatis dodoneandris. MILLER. Dict. NECKER Deliciae
gallo - belgicae p. 208. SCOPOLI. Flora Carniolica.
ed. 2. n. 565. POLLICH Histor. plant. in Palatinatu
electoralu sponte crescentium n. 450. MOENCH. Enu-
meratio plant. indig. Hass. n. 390. MATTVSCH. Flor.
siles. 335. BLACKW. Herbar. t. 520. Flor. Dan. t. 671.
KNIPHOF. Cent. 5. n. 55. Doerrien Nass. Oran. Gewaechse
p. 148. ZORN Icon. Plant. med. Cent. II. Tab. 115.

*Radix perennis fibrosa, ex multis radiculis maiori-
bus, digitum crassitie aequantibus, lignosis, aegre in
puluerem reducibilibus, minoribus, filiformibus, copiosis,
et flexilibus constans.*

*Caulis est suffruticosus, solidus, adultior ligneus,
tulcatus, saepius angulatus, erectus, foliatus, superius
hirsutus, inferius laevis.*

*Rami copiosi structura caulis, inferiores patentes,
superiores adscendendo incurvi, tribus saepius simul e
caule prodeuntibus.*

Folia

Folia sunt cordato-lanceolata, opposita, interdum, praecipue caule inferiori, terna, rarius quaterna, ramis nonnunquam alterna, integerima, patentia, sessilia, neruis alternis, nonnunquam oppositis, crebrius sub-hirsuta, obscure viridia, plana.

Flores spicati, inferius alis foliorum insidentes.

Pedunculus parvus, viridis, superius sulcatus.

Calix XIII. fidus, monophyllus, cylindraceus, lineis duodecim in totidem denticulas excurrentibus, striatus, viridis, cum rubro commixtus, persistens, denticulae alternae minores.

Corolla, petalis sex, interdum V. vel VII. obtusiuscula, patentia, vnguibus calycis incisuris insertis.

Stamina. *Filamenta* XII, interdum X, filiformia, VI. superiora corollam dimidiata aequantia, et rubra, VI. inferiora longitudine calycis minora, lutea. *Antherae* simplices asurgentis, modo nigrae, modo luteae.

Pistill. Germen oblongum, fundo calycis impositum, luteum. Stylus subulatus, longitudine staminum maiorum, declinatus, stigma crassiusculum, orbiculatum, assurgens.

Perianth. Capsula oblonga, acuminata, tecta, bilocularis.

Semina numerosa parua.

Confer. LINNAEI Genera Plantarum.

*Planta perennis est, crescit in locis humidis, in rini
pigre fluentibus, in fossis et stagnis paludosis, intueni-
tur mense Iulio et Augusto cum flore, linguae inter ma-
sticandum imprimis primo saporem herbaceum, ad-
stringentem fereque acerbum, deinde reddit sub auctore
Ill. MVRRAY o) mucilaginem in sua ductilem. Plura
vide apud Mich. SAGAR p).*

§. 3.

*Quod ad chemicam analysisin spectat, hierbam recen-
tem periculo subiecit Cl. DE WELL q), unde colligitur,
plantam hanc plurimum phlegmatis insipidi, mucilaginosi, parum
olei, haud multum salis et terrae continere, cum unciae XVIII.
platae ultra XII. uncias latitidis mere aquosi insipidi tradiderint,
priusquam aliquot unciae liquoris salini subsecutae sint, salis vero vo-
latilis nec vestigium deprehendere licuit. Planta siccata et ex
aqua decocta dedit extracti quantitatem maiorem, sed
cum spiritu vini digesta minorem. Hoc erat tenax, glu-
tinosum, profunde viride, difficulter quidem, sed sen-
sim in ore resoluendum, et linguae inducens saporem
herbaceum, viscosum et gratum, flammae nequaquam
obnoxium, illud vero longe ingratius et linguam sapore
vix salso, magis subaspero aut terreo-siccante afficiens.*

§. 4.

o) L. cit. pag. 511.

*p) In Diss. cit. ista momenta manca sunt, quia contrahendo omisit
A. de Wafferberg scitu digna.*

q) Vid. Sagar Diss. ap. Wafferberg I. c. p. 394.

§. 4.

Quae si vera et certa sunt, non possum non exinde colligere, magnam et salutarem plantae vim futuram in iis morbis, vbi fluor quidam aegrum male habet, vel laxitas solidorum virget. Nam eo reddit omnis saporis et experimentorum vis, ut nos certos reddat eam primo fibras adstringere, eaque via roborare, cum partes acerbae sese satis prodant manducantibus, deinde ora vasorum comprimere, hinc sanguinis et ventris profluvia sistere, ultimo acrimoniam hebetare et obtundere posse propter mucilaginem satis perspicuam. Talis cum sit, recte dicitur planta et vulneraria siue styptica, et potior siue securior reliquis adstringentibus, et longe aptior diarrhoeae ac dysenteriae rebelli, quia ob istam mucilaginem noxas auertit, reliqua adstringentia fere insecuras. Videtur tamen plurimum valere, si qua laxitas intestinalium subest, minus, si siccitas et rigiditas incommodat, vel sordes intus latent, contra si extrinsecus vulneri superhabetur vel applicatur, densando fluidum et stringendo solidum coercere fluorem morbosum sanguinis.

§. 5.

Solent vero medici adhibere *herbam praeceteris*, eamque sub forma *pulueris*, praeuia medicina purgante, vesperi et mane drachman unam vel scrupulos quatuor^r,

B 3

vel

^r) Haen I, cit.

vel drachmam vnam ternis vicibus ^{s)}, et in veteri morbo per aliquot hebdomadas continuare. Alii *herbam ex aqua decoctam* praferendam putant, siue ore hauriatur, siue vulneri superiniciatur, siue alio immittatur, videturque ista via placere multis; Alii *succum* commendant, sed praeter HAMNERINVM ^{t)} paucos scio, neque vero eum improbo; Alii *aquam destillatam* ad vulnera et contusiones oculorum ^{u)} iubent applicari. Pauci sunt, qui *radicis vires tentauerint*, inque his maxime nominandus Cl. BLOM ^{w)} est. De *floribus altum* est apud auctores silentium, et praeter HEVERMANNVM fere scio neminem; sed de eius virtute egregia proprio vsu satis certus sum. Euentum in diarrhoea malum, quem ille litteris prodidit, non quidem iis ipsis, sed potius medicamento male indicato adscribendum fuisse existimo. In genere hoc certum ratum-
queo habeo, scripta aliorum versando, medicos tantum non omnes, qui de Lysimachiae virtutibus aliquid memorarunt, intra generalem commendationem et laudationem consistere, neque singulatim percensere, quae medicamenti exhibiti quantitas et forma fuerit, quae utilitas et efficacia, quae noxa vel inertia, sed alterum in alterius verba iurare ac repetere fideliter, quae hinc inde dicta

^{s)} Stoerck Aanus medic, I. p. 108.

^{t)} Ap. Crantz l. cit. p. 27.

^{u)} Parkinson ibid.

^{w)} Ap. Murray l. c. p. 513. et Rosenstein Kinderkrankheit. p. 79.

dicta vel scripta legerit prius. Hunc morem ut aliquando ponant practici et materiae medicae scriptores, ex animo opto. Etenim, me iudice, non satis est scribere vtilitatem, sed praestat curate describere casus, in quibus vel profuit, vel obfuit, nihil temere omittendo, vnde certior fieri possit rei cognitio. Sine hac diligentia! et accuratione parum sperare licet in adiumentum artis, neque post secula plenior ac aptior erit materia medica.

S E C T I O N.

Therapeutica.

§. 6.

Absolutis generalibus praeceptis, consequens atque consentaneum est, vt ad specialia progrediar, et quae autores de *Lystmachiae virtutibus medicinalibus* consignata reliquerunt, paucissinis complectar. Consistunt in eo, vt adstringant solida, densem fluida, pertinent ergo quaecunque morborum genera, quae istius plantae beneficio vel tolli prorsum, vel paullatim sisti dicuntur, ad *vulnera*, *inflammationes externas*, *febres*, *profusua*, *spasmos* et *cachexias*, ea tamen diuersitate, vt primae dandae videantur fluor morboſo cuiuscunq; seroso et sanguineo, secundae vero iis, quae laxitati debentur. Neque improbabiliter dixiſis interdum vtriusque habendam esse rationem, quate-

1115

nus laxitas anteit, profluuium insequitur, et tum temporis longe praestantissimae Lysimachiae vires censendae sunt.

§. 7.

I. *Vulnera.*

Cum facile fieri possit, ut vasa corporis a vi quadam externa laedantur, et sanguinem profluere sinant, videatur mihi origo virium Lysimachiae medicatarum inde quam maxime repetenda. Potuit enim sanguinem sistere, et vulnus ipsum glutinare. Haec testantur fere omnes scriptores, DIOSCORIDES a), GALENVS b), ORIBASIVS c), AETIVS d), PAVLLVS e), RVELLIUS f) et TABERNAMONTANVS g), neque falsas hasce laudes puto, cum in simplici vulnera saepenumero sufficiat ora vasorum adstringere, atque humorem subacerbum superhabere. De *vicere* magis dubito, cum fere maior noxa sit ab repressione, attamen sub auctoribus PLINIO et RVELLIO h) *viceribus*, quae *calceamento facta sunt*, prodest contrita, idque, quan-

a) L. cit.

b) L. cit.

c) De Morb. Curat. III. 36. p. 605.

d) L. cit.

e) L. cit. p. 445.

f) L. III. 78. p. 580.

g) L. cit. p. 1238.

h) L. cit. p. 580.

quantum equidem intelligo, refrigerando et minuendo
ruborem ac inflammationem.

§. 8.

II. Inflammationes externae.

Inflammatio externa, si quando incidit, fere à laxitate quadam, ab ictu et humorum aditu orta est. Quae si recens est et moderata, solent quaeque leniter adstrigentia, dum superimponuntur linteolis, prodesse plurimum, praeuia sanguinis missione, si res aegri eam desiderent. Hinc forte factum est, ut maiores nostri Lysimachiam sub initio adhiberent ad sedandum inflammationis impetum, maximeque eius, quae oculos occupat et male habet, eodem fere modo, quo nostrates chirurgi aquam vegeto-mineralem Govlardi suberhabere solent. Huc spectat

1. *Contusio oculi,*

Quam, si siles sua constar auctoribus, optime ingulasse fertur, et

2. *Inflammatio oculi,*

Cui eam opponi HALLERV*s* i) iubet, propria fretus experientia.

§. 9.

i) Ap. Crantz I. c. p. 27.

III. *Febres.*

Ea est fibrarum corporis natura, vt stimulo quodam acriter ac diu vellicatae in motus cieantur, magnitudini, vehementiae et durationi stimuli et partium affectarum fabricae consentaneos, et, eo cessante, quiescant illico. Nam quo maior visceri sensus a natura insitus est, (sive eum irritabilitatem, sive sensibilitatem, sive contractilitatem appelles, mihi iam perinde est) eo grauius urget impatentia stimuli, eo maiores ac diurniores insequuntur turbae solidorum ac humidorum, eo maius immunet sanitatis vitaeque periculum. Quod denum cunque sit irritamentum, semper tamen sequitur vel spasmus, vel dolor, vel febris, id unum tantum interest, vt in homine alio aliter afficiat, et morbum varium propter varium corporis habitum materiamque variam inducat. Ex his satis colligitur, febres quidem caussaliter dici posse a nervis profectas, vt Angli contendunt, at vero materialiter (id quod veteres medici statuerunt) ab humoribus natatae. Hi materiam stimuli subministrant, illi recipiunt, ceteraque solida, contrahantur necesse est. Sic mutua nervos humoresque intercedit conspiratio, et febrium theoria, quae hos illosue excludit, mihi videtur esse quam maxime manca, anceps et dubia. Que cum mecum reproto, non possum non ab eorum partibus esse, qui Lysimachiae ministerio febres fugari posse profertur.

1. *Febris*

1. *Febris intermittens tertiana.*

Nominat TABERNAEMONTANVS ^{k)} quandam *Lysimachiam caeruleam* s. *galericulatam*, eamque propter virtutem febrifugam *tertianariam*. Sunt vero, qui diuersam esse plantam contendant, neque ego repugno: nam est *Scutellaria galericulata* LINNAEI. Tamen et nostra planta, vtpote amara, ad infringendam intermittentium febrium vim non male hoc in numero mihi videtur reponenda, quippe, praeuia alui purgatione, vi sua adstringente potest minuere irritabilitatem morbosam, et febrem ipsam extinguere.

2. *Febris continua.*

Vnum noui TABERNAEMONTANVM ^{l)}, qui aquam eius destillatam appellat, eamque propter vim refrigerantem febribus acutis aptam iudicat, sed caute adhibendam, ne criticae vacuationes hinc sistantur. Ego vero hanc vim, si satis vera est, sentio esse peregrinam, et aquam ipsam scio in obsoletis positam, quibus facile carere possumus.

3. *Angina.*

Lysimachiam salubrem hoc in morbo fuisse, idonei auctores testantur, SCHWENCKFELT ^{m)}, qui flores ex aqua decoctos ad faucium inflammations conserre statuit,

C 2

ZORN

^{k)} L. cit. p. 767.

^{l)} L. cit. p. 1239.

^{m)} L. cit. p. 129.

ZORN n), qui fauces ab angina catarrhalis correptas ex aqua ista gargarisare suadet, et TABERNAEMONTANVS, qui luteam, (*Lysimachiam vulgarem LINNAEI*) cuicunque anginae formae aptam, purpuream vero (*Lythrum Salicaria Linn.*) contra anginam inflammatoriam tuto commendari posse censet. Ego vero etsi fidem iis detrahere nolo, rem tamen omnem ita finiendam existimo, vt, quatenus ista planta ex partibus adstringentibus constat, non, nisi ad eas anginae species valere possit, quae à laxitate faucium pendent, minime ad eam, quae cum inflammatione est, nisi ante sublatum fuerit eius impetus. Tunc demum tale gargarisma haud ultimum vel inefficax ad iuuandum et roborandum erit.

4. Pestis hominum et pecorum.

Pestis, vt malignarum febrium princeps est, ita etiam quaecunque artis praesidia raptim sumenda desiderat, cum salus aegri quavis hora sit in ancipiti posita. Pauci enim evadunt, plurimi, recrudescente pessimo malo, subito extinguntur. Innumerabilis medicamentorum a maioribus patribusque commendatorum vis est, ideoque nec defuerunt, qui hanc plantam, de qua quaerimus, quam maxime proficuum profiterentur. Liceat ex multis IO. CRATONEM et RVELLIVM p) nominasse. Audiui de quibusdam rusticis, inquit, cum apud Cenomanos pestilentia passim graffas.

p) Botanol. p. 409.

p) L. cit. p. 580.

graffaretur, multosque subita morte raperet, tandem ex herba quādam, quam mihi demonstrarunt, remedia quaesuisse, qua liberatos peste plurimos adfirmabant. Namque altius paulo supra panum, qui iam intumisset, adalligata deorum pestilens virus impellebat, collectumque tandem inibi sursum regredi, et principes partes repetere non patiebatur. Sic modico subiecti membri danno reliquum seruabatur corpus. Inde rusticis PELLIPPOSA, sive quod idem est, PESTIFUGA coepit esse appellari. Sed quae ab iis demonstrata mihi fuit, nullis, dissentientibus notis, Lyfimachia erat. Cuius miraculi nullam potuī rationem inire, nisi quod forsitan suo inspissata et adstrictioṇis munere, quo pollet, venenum ad subidas partes exprimens excluderet. Neque ego, cūm Dauus sum, non Oedipus, miraculi huius rationem inire possum, vel RVEILLII auctoritati subscribere, partim quod verae pestilentiae proprium sit bubone critico finiri, attestantibus fere omnibus foedae luis narratoribus, maximeque ex nuperis quidem CAR. DE MERTENS^q), Gvst. ORRAEO^r), SAMOLOWITZ^s), CL. FERRO^t), MART. LANGE^u), IO. MART. MINDERER^x) et cet. partim

C 3

quod

- b) Obs. med. de febrib. putr. de peste T. I. P. II. c. 7. p. 103.
- r) Descript. pestis p. 69. et 70. et p. 100. expressis verbis dicitur *suppuratio bubonum crīsis unica salutaris*.
- c) Abhandlung von der Pest p. 101. Sed negat ille, ait Klinz. ib. Vorbericht p. 29.
- d) Ansteck. der epidem. Krankheit. besonders der Pest. p. 65. et Vorbericht p. 29.
- e) Rudiment. doctrinae de peste p. 13.
- f) Diss. de peste eique medendi methodo, Ien. 1789. p. 6. et 12. not.

quod nihil exitiosius materiae migratione ad interiora reperiatur, et hoc quidem Lysimachia, quantum video, cum ad repellentia medicamenta pertineat, vnicce facere potuit. Relinquitur ergo hoc vnum, vt sub peste intelligamus febrem malignam putridam, quam haud raro in sequitur bubo symptomaticus. In hoc casu caute superhabita Lysimachia forte proderit. Tandem fidem RVEL-LII dubiam reddit MATTHIOLVS), cum eum veram Lysi-machiam ignorasse contendat, certe duas pro *Lysimachia plantas designasse, ea forsitan ratione adductum, quod DIOSCORIDES flore rufo aut aureo constare Lysimachiam memoriae tradiderit.* Quod si verum et rectum est, tunc praestat eam in isthoc dirissimo morbo missam facere, quam periclitari, et euentum dubium exspectare. Idem iudicato, si de carbone pestilentiali quaeritur. Trita, tribus horis retentia, inquit IAC. HOLLERIVS z), carbonem curat. Ego vero vix crediderim.

III. Profluvia.

Saepenumero accidit, vt vasa interna post vim intrinsecus vel extrinsecus illatam per *ἀνασόμωσιν, διαπηδησιν* vel *διάρρεον* sanguinem contentum largiter dimittant, et aegrum vel in vitae discriminem deducant, ni fluor coerceatur, vel cruris penuriam inducant, vnde varia, eaque grauissima corporis vitia effici solent. Tunc vero prima salus

z) Comment. cit. p. 484.

z) Ap. Zorn I. c. p. 409.

salus in reprimentibus quaerenda est, neque forte spernenda vis adstringens Lysimachiae. Similiter statuendum puto de profluuiis serosis vel mucosis, in quibus, ni omnis fallor, primum tentata est. Nec iniuria, quia vbi propter laxitatem vis retentrix deest, (sit venia verbo veterum technico) et humor copiosius et diutius, ac par est, profluit magno cum virium detimento, hoc unum medico debet esse propositum, ut fluorem prudenter et de tempore colibeat. Fluor enim per diuturnum temporis spatium toleratus in varia neruorum vitia, hydropem vel tabem coniicit. Et vero hisce malis obesse dicitur Lysimachia, hinc secundum utrumque ordinem videntur prosequenda.

§. 10.

A. Profluvia sanguinea sive haemorrhagiae.

Haemorrhagia et multiplex est, et varia, cum quaque corporis parte, dilatatis vasorum osculis, vel compage rupta, possit fieri, etsi à loco, vnde sanguis effluit, et ab copia diuersa maius vel minus sit periculum. Mirum ergo nemini videbitur, si inde ab prisca tempore remedia, quibus manantis sanguinis impetus sistetur, medici tentarent, et in eorum numero varias Lysimachiae ^{a)} species, maxime purpuream, collocandas putarent. Inest enim ei vis adstringens cruoremque densans. Sunt vero potiores haemorrhagiae, quas autores litteris prodiderunt,

1. Hae-

^{a)} Tabern. I. c. p. 1258. Tragus I. c. p. 147.

1. *Haemorrhagia narium.*

Naribus Lysimachiae herbam immitti iubent Di-
OSCORIDES b), GALENVS c), TRAGVS d), RVELLIVS e),
SCHWENCKFELT f) etc. et adstringere vasorum ora, ma-
nantem cruentem cohibere potest, quippe ne hodie qui-
dem aliud artis consilium est, diuersum tantummodo
præsidium.

2. *Haemorrhagia gingivuarum.*

Gingiuas varie affectas sanguinem fundere haud ra-
rum est, eaque de caussa ori conuenire videtur succus
expressus vel herba ex aqua decocta, etsi non opus est
tam curiosa conquisitione, quam Gottsched g) propo-
suit. *Lysimachia purpurea*, inquit, *ipso Iacobi die*, *vespera in-*
gruente, effossa, torrefacta, in sacculum coniecta, et nouendum collo
appensa, post in profluvium missa, putrilaginem gingivuarum scorbu-
ticam corrigerem creditur. Haec quidem missa facio, vt pote
superstitiosa, plantam vero propter vim adstringentem
gingiuas corrigerem posse credo.

3. *Hae-*

b) L. cit. pag. 246.

c) L. cit.

d) L. cit. p. 147.

e) De Nat. Stirp. III. 78. p. 580.

f) Ibid. p. 129.

g) L. cit. p. 155. Idein sentit Zorn. Botanol. p. 409.

3. *Haemoptoe et haemoptysis.*

Commendat hoc in malo DIOSCORIDES *h)* succum foliorum, ORIBASIVS *i)* folia confusa, PAVLLVS *k)* et RVELLIVS *l)* potum et infusionem, TRACVS *m)* herbam ex vino decoctam et potam, GOTTSCHED *n)* vtilem putat in sputo sanguinis, similiter ZORN *o)* et post hos viros multi alii, cum maxime SAGAR *p).* Ego vero de viribus eius ita sentio, ut eam magis prodesse putem in haemoptoe, id est, oris sputo, quam in haemoptysi. Ibi enim fertur gargarisando vel quauis alia via ad ora vasorum aperta, et locum affectum alluit, hic vero per ambages demum ad pulmones venit, et debiliorem virtutem reddit.

4. *Fluxus hepaticus.*

Est iste fluor, sub quo sanguis loturae carnis similis emittitur, sed parce ac sine torminibus, sine vlla haemorrhoidum specie, per se quidem rarissimus, et vel

ab

h) Ibid.

i) De Morbor. Curat. III. 30. p. 631.

k) De Re med. l. cit.

l) L. cit. p. 580.

m) Ibid. p. 147.

n) Ibid. p. 155.

o) Ibid.

p) Diss. cit. p. 595. Opp. Wasserberg T. II.

D

ab vlcere quodam repetendus, vt veteribus medicis visum est, vel ab lymphaticorum vasorum atonia, vt VOGELIO q). In priori casu adesse debet, praeter alia anamnestica signa, dolor in loco abdominis vlcerozo et odor sanguiei profluentis grauis, in posteriori debilitas intestinorum. In hoc cum conueniant medicamenta, quae sistant sanguinem, et adstringendo roborant, proderit fortasse Lysimachiae herba vel radix ex aqua decocta et pota sub auctore TABERNAEMONTANO r) et ZORNIO s).

5. *Menses nimii.*

Variae sunt caussae, vnde menses augmentur nimium; ideoque variari semper debet medendi ratio. In his non ultima est vel laxitas uteri, vel tenuitas sanguinis. In utroque casu caute data Lysimachia videtur habere vim ad iuuandum, maximeque extus superhabita vel in vuluam immissa, quia similia adstringentia remedia in largiori profluvio suadent recentiores medici. Hinc eam prae ceteris laudant DIOSCORIDES sub pessi forma inditam, GALENVS succum, RVELLIUS injectionem, TABERNAEMONTANVS aquam destillatam, TRAGVS herbam contusam et pudendis superimpositam, nec dissimiliter GOTTSCHED et SCHWENCKFELT, BOECLERT, HAMNERIN v) etc. In haemorrhagiis uteri, inquit

An-

g) De Cognosc. et Curand. C. H. affectibus. p. 283.

r) L. cit. p. 1239.

s) Ibid. p. 409.

t) Cynosur. Mat. med. continuat. p. 547.

v) Ap. CRANZ l. c. p. 27.

ANDREAS LAVRENTIVS x), expertissimum remedium est, eodemque casu WELSCHIVS conseruam laudat. Neque ego herbam reliquis inferiorem censeo, quum talibus in casibus remedia alia longe superaeeruit.

6. *Haemorrhoides.*

Solent fere omnes auctores, cum plantam ceteris haemorrhagiis obesse scribant, etiam has veluti cum ali loco superaddere. Satis est nominasse RVELLIVM et ZORNIVM. Neque inepte, cum possit commode immitti alio, et vasorum ora stringere.

7. *Mictus cruentus.*

Solus est GOTTSCHED z), si bene memini, qui rati-
cem et flores viles iudicat in mictu sanguinis, puluiuscule
eorum exhibito, sed, vt mihi videtur, magis ex analogia,
quam experientia.

§. 11.

B. *Profluvia Jerojo — mucosa.*

Et in his varie tentatum commendatumque a priscis medicis atque maioribus est, quia saepius incident, interdum per populum grassantur, et parabilem medicinam desiderant. Huc referuntur

D 2

Dicas.

x) Consil. med. 13.

z) L. cit.

1. *Diarrhoea.*

Diarrhoea vulgaris morbus est, interdum letuis, interdum paullo pertinacior et longior. Tunc fere solis adstringentibus remediis tollitur. Vnus ex primis est TABERNAEMONTANVS *a*), qui herbam cum aliis ex vino coqui iussit, deinde HAMNERIN in subsidium venit, tandem HAENIVS *b*) efficaciam eius extra omnem dubitationis aleam posuit. Dum, dato prius purgante, inquit, drachma una vel quatuor scrupuli pulueris huius plantae mane ac sero dantur, et morbus magis a laxis intefinis, quam a sordibus originem ducat, praetereaque nunquam ex collectione putrida, nec ulcere intefinorum, nec alicuius visceris tabitudine ortus sit, intra tres quatuorue dies curatur perfecte, si recens est, paullo vero longiore tempore, si est diuturnior. Annosam diarrhoeam, ad quaenam auxilia rebellem, trium septimanarum spatio eodem remedio percurat. Haec fere pertinent ad diarrhoeam, a laxitate oriundam, sed alio loco *c*) virium medicataruin fines vterius extendit. Etiam in diarrhoeis et dysenteriis olim à causa quavis alia productis, iamque, causa priore deuicta, a debilitate superfite postmodum continuatis, multa noua experimenta confirmarunt. Similes effectus vidit L. B. de STOERCK *d*) in diarrhoea pertinacissima, Hætivs *e*)

et

a) L. cit. p. 1238.*b)* Ratio Medendi T. III. c. 5. p. 214.*c)* Ibid. T. IV. c. 7. p. 232.*d)* Ann. med. I. p. 108.*e)* Ap. Murray I. c. p. 513.

et SAGAR f) sub forma pulueris vel decocti, radicis decoctum salubriter tentauit BLOM g) in diarrhoea chronica et dysenteria. Cum Lysimachiae insit vis valde adstringens, non est, quod hisce viris temere fidem detrahama, praecipue cum et ipse vim eius eximiam in diarrhoea longa perspexi, certissime et in posterum iuuabit, si, purgatis intestinis, ad robur restituendum adhibeatur.

2. *Dyfenteria.*

Eadem fere res dysenteriae est, hinc eius vetustissima medicina Lysimachia. *Vale foliorum succus, qua pollet, adstringendi vi, teste DIOSCORIDE h), ad dyfenteriam, seu potius datus, seu etiam clystere infusus.* Consentunt GALENS, ORIBASIVS, AETIVS, FABRIC. HILDANVS, DODONAEVS, TRAVS, TABERNAEMONTANVS, ZORN, BLOM, GARDANE i) et cet. Contra ire videtur HEVERMANN k), sed discordia ita diluenda est, vt, quatenus huius planta vis in adstrictione cernitur, nec possit, nec debeat prius dari, quam vacuata vel hebetata satis materia. Accedit, quod isthaec herba, de qua mihi sermo est, multum cum cortice Sima-

D 3

rubae

f) L. cit. p. 495.

g) Ap. Murray I. cit. p. cit.

h) L. IV. p. 246.

i) Gaz. de Sante 1775. p. 65.

k) Bemerkung. T. I. p. 212.

rubae conueniat, ideoque cum mucilaginosa ¹⁾ sit, in omnibus iis affectionibus, ubi alias medicamenta indicantur, adhiberi poterit.

3. Lienteria.

Vnus est Perill. MURRAY ^{m)} testis, isque peridoneus, qui eius in hoc altū fluore vires praedicat. Similem effectus celeritatem, inquit, in lienteriae casu singulari obseruaui, et si inconstantiam dein dolorem. Caussa huius inconstantiae mihi videtur in eo esse quaerenda, quod praesentaneam eius virtutem soli lienteriae, ab intestinorum laxitate profectae, assignare liceat, idque suadente natura et similitudine morbi cum ipsa diarrhoea. Etenim fere à laxitate oritur, eaque sublata, illico cessat. Tunc vero opportuna medela ab Lysimachia est, eiusque ministerio III. GRVNER lienteriam longam et desperatam demum profligauit.

4. Gonorrhœa et

5. Fluor albus.

Commune hodie vitium genitalium virilium et mulierium est catarrhus, id est, morbosus muci fluor ex pene vel vulva continuus. Qui et turpis, et permole-

stus

1) Ita bene Sagar I. cit. p. 395. et post eum III. Murray Apparatus Medicam. Vol. III. p. 513.

^{m)} Ibid.

stus esse homini solet, hinc imprudenter quaeritur ab imperitis medicina adstringens. Commendat quidem TABERNAEMONTANVS ⁿ⁾ et ZORN ^{o)} herbam cum aliis adstringentibus decoctam et camphorae copulatam in gonorhoea, SAGAR ^{p)} in fluore albo salubrem pronunciat, ego vero primum explorandam censeo speciem et originem fluoris, deinde tempus morbi spectandum. Nunquam enim tuto datur sub initio, tutius, impetu stimuli ac inflammationis sedato, et materia in benignitatem cotuersa, tutissime, si sola laxitas subest. Tunc enim omnis praestantia in adstrictione posita esse videtur,

§. 12.

V. Spasmi.

Magna neruorum vis est in corpus humanum. Quod cum pateat variis stimulis extrinsecus vel intrinsecus laesuris, haud exiguis datur morborum numerus, qui sub communi spasmorum genere comprehenduntur, siue ostendant musculos constrictos, siue alterne contractos vicissimque extensos. In hisce morbis effectus quidem facile cernitur, caussa vero vt plurimum latet, hinc incidentem vsu euenit, vt fallant medicum medicamenta specifica. Praestat ergo in origines cuiusque curatius inquirere,

ⁿ⁾ L. cit. p. 1259.

^{o)} L. cit. p. 409;

^{p)} L. cit. p. 396.

rere, quam falsa nominum specie falli. Paucos video extitisse medicos, qui Lysimachiae vires hisce in morbis periclitarentur, etiamsi non prorsum videatur spernenda.

1. *Epilepsia,*

Dirissima et adspectu horrenda epilepsia est, qua si qui corripiuntur, facient sine conscientia, sublatis sensuum mentisque functionibus, residuo vehementissimo membrorum motu et summa spirationis difficultate. In hoc ergo malo nihil est reliquum, nisi ut in singulis aegris caussa, quae antecesserat, quantum eius fieri potuit, eliciatur, eique aptum eligatur remedium. Saepenumero subest sola laxitas, indeque nata sensibilitas morbosa. Quam cum subigant medicamenta martialis, cortex, viscus querulus, balnea frigida, et id genus alia, in eam inducor sententiam, et ipsam Lysimachiam fore proficiam, si ex aqua decoquatur, et ore hauriatur, minus vero, si parti affectae extrinsecus apponatur. In hac tamen magnam spem GOTTSCHEDIVM q) posuisse video. Radix collecta, inquit, sole ultimum cancri gradum accidente, ac collo appensa certissimum epilepsiae remedium est. Quam bene, viderint alii.

2. *Calculi.*

Sunt, qui hanc herbam plurimum facere scribant ad pellendos calculos, certe ad dolores leniendos. Neque

¶ L. cit. p. 155.

que ego ausim contrarium contendere, cum medici vel ipsam uiam vrsi ad hunc morbum proscire affirment, et saepenumero fons mali in laxitate renum resideat. Tunc vero, quid valeat Lysimachia, caute puto experiendum.

§. 13.

VI. *Cachexia.*


Huc referenda sunt ex systematicorum voluntate quaecunque vitia, in quibus malus corporis habitus subest, isque se prodit maxime vel marcore, vel tumore, vel quadam coloris foeditate. Varia ergo sunt cutis vitia, quibus deturpatur, eaque etsi morbi non semper dicantur vel existimentur, plurimos tamen medico molestias facessunt. Qui Lysimachiam ad ea bene facere scripserit, praeter GOTTSCHEDIVM r) scio neminem. *Faciem emaculat,* inquit, *aqua florum destillata.* Id quod eatenus concesserim, quatenus sola cutis laxitas efficit, ut quaedam passim erumpant sudamina vel pustulae. Has potest aqua frigida, si facies crebrius humectetur, tollere, quidni et aqua florum Lysimachiae destillata, cum cutim laxam et refrigerare, et constringere possit?

§. 14.

r) L. cit. p. 155.

E

Haec cum mecum repeto, videtur mihi disputatio
omnis eo redire, ut *Lysimachia s. Lajthrum Salicaria LINN.*
nequaquam destituantur viribus medicinalibus, eaeque
fere valeant ad adstringenda solida laxa, ad reprimendam
diarrhoeam ac dysenteriam, ad sistendas haemorrhagias.
Digna ergo ista planta est, me quidem iudice, quae de-
nuo in usum vocetur, (hoc bonum fatum multis obsoletis
medicamentis nuperime contigit) et tunc demum ei sua
laus, suus honor constabit. Nihil certe mili gratius ac-
ciderit, quam si expertos aliquos medicos hoc libello ad
experiendum impulerim. Ego enim, si quando mihi se
obtulerit occasio, lubenter arripiam, neque committam,
ut per me remedium isthuc sit minus usu et periculis
confirmatum.



D. I. Scherbius del:

I. C. Berndt fecit Fr. Hoff

W 78

PICA



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
LYSIMACHIAE PVRPVREAE
SIVE LYTHRI SALICARIAE LINN.
VIRTUTE MEDICINALI NON DVRIA

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO AVGVSTO

VIAE MONTIVM ANGARIAE
AVIO THVRINGIAE RBL.

IEDICORVM ORDINIS
DOCTORIS

INA ET CHIRVRGIA
S RITE CONSEQUENDIS

10 CCLXXX.

FENDET

OR
C H E R B I V S
OFVRTANVS.

A E
IEDLERIANA.

